



# INDEX LIBRORVM TOLVMI- NE hoc Comprhensorum.

- |   |  |
|---|--|
| <p>I. Orationes quae. I. De Linguae Hebrae Laudibus. 2. De trium Linguarum Hebrae Graecae et Latinae studio coniungendo.</p> <p>II. Oratio Iacobii Topotii de motu contra Turcam Principum Germanorum concordia coniungenda.</p> <p>III. Classicum ad Germanos contra Turcas.</p> <p>IV. Hercules Tegatus. Laudatio Funeribus Georgii Frederici Marchionis Brandenburgici.</p> <p>V. In Natalem Mauricii Landgraviæ Hassiae.</p> <p>VI. Hermannii Kirchneri Oratio, et Solennis Actus Promotionis.</p> <p>VII. Oratio de Vita et Morte Vladislaus Napolitani.</p> <p>VIII. M. Wolff scriptor qui tunc Augusto et Ernesto Duc. Saxonici.</p> <p>IX. Lacryma Leticiana de obitu Frederici Mauricii Principis Anhaltini.</p> <p>X. Wolff Uilulperatio et Laudatio eius.</p> <p>XI. Parentatio Christoph. Cesari scripta.</p> <p>XII. Laudatio Funeribus Polycarpi Lyseri.</p> <p>XIII. Oratio de libera Religione Concessione.</p> <p>XIV. Oratio de Scholis.</p> <p>XV. Festum Scholasticum Gregorianum.</p> <p>XVI. Tractatus de Communi.</p> <p>XVII. Caselii Epistola.</p> <p>XVIII. Indicium Funeris Petri Matthaei Wendicii.</p> | <p>XIX. Disputatio de Peste.</p> <p>XX. De Caselii stupendi Laudibus.</p> <p>XXI. Disputatio logica de Testimonio.</p> <p>XXII. Theses de Locatione Coniunctione.</p> <p>XXIII. Rudimenta Linguae Sanae.</p> <p>XXIV. Siberi preces ad Deum.</p> <p>XXV. Elegia continens passionem Christi.</p> <p>XXVI. Programma Abdis de Pascha.</p> <p>XXVII. Sarsa Dorotiea Helwigii.</p> <p>XXVIII. De Historia Sycolorum.</p> <p>XXIX. Paraphrasis Poetica Psalmi 68.</p> <p>XXX. Poeta de natura Sycolorum.</p> <p>XXXI. Victoria Christianorum contra Turcas.</p> <p>XXXII. Liber de Rebus Pommernicis.</p> <p>XXXIII. Classicum adversus Turcas.</p> <p>XXXIV. Oratio contra Furores Turcos.</p> <p>XXXV. Parvitas illustri Dno Wilhelmo Luxo capto.</p> <p>XXXVI. Symbola Heretica Principum Anhaltinorum.</p> <p>XXXVII. Epitaphia Bernardo Principi Anhaltino scripta.</p> <p>XXXVIII. Carmen legitime de Johanne Ernesto Principe Anhaltino.</p> <p>XXXIX. De Obitu epidem.</p> <p>XL. Psalmi Davidi V. Herimani.</p> <p>XLI. Ad Radiclaum Libens Burone.</p> <p>XLII. Pœmata Wulffgangi Anhaltini.</p> <p>XLIII. Epitaphium N. Jeneriferi.</p> |
|---|--|

- XLIV. Catalogus Episcoporum Halber-  
stadensium.
- XLV. Brevis Hermannii.
- XLVI. Gratulatio ad Wernemeyerum  
de gradu Doctoris.
- XLVII. Gratulatio de Magisterio.
- XLVIII. Gratulatio de honore Notariatus.
- XLIX. Nuptii Petri à Frense.
- L. M. Abrahami Wunschelii.
- LI. Johannis Hampli.
- LII. Johannis Fabri.
- LIII. M. Wunschelii.
- LIV. Pauli Bergmanni.
- LV. Pauli Helwighii.
- LVI. Abrahami Vlerthaleri.
- LVII. Pauli Helwighii.
- LVIII. eundem.
- LIX. D. Martini Copenii.
- LX. D. Davidis Wernemeyeri.
- LXI. Epitaphium D. Johannis Sommeri.
- LXI. Laurentii Britmanni junioris.

Orationes duæ:

VNA

DE LINGVA

HEBRÆÆ LAVDIBVS:

ALTERA

DE TRIVM LIN-

GVARVM, HEBRAEAE, GRAE-

CE ET LATINE STV-

diocconiungendo;

*Conscripta & recitata in Academia Lipsensi*

PER

M. HENRICVM SCHVA-

lenberg, Hebraicarum literarum

Professorem,



LIPSIÆ,

IMPRIMEBAT MICHAEL  
LANTZENBERGER.

ANNO M. D. IVC.

KÖN. PR. FR.  
UNIVERS.  
ZV HALLE

*1/2 Bay.*  
*26 3*



## Oratio

DE LINGVÆ HEBRÆÆ  
LAVDIBVS, ANTE PRAELE-  
CTIONEM HEBRAICAM RECITATA

Anno 1593. II. die Iunij.

**S**I qua sunt (auditores optimi) in rebus humanis, quæ boni honestiq; nomen sibi vendicant: illud profecto non postremum in ijs censeretur debet, quod maxima cum utilitate coniunctum, humano generi diuinitus concessum esse, nemo sana mente præditus facile negare potest. Id enim unde uberrimi fructus in homines redundant, non esse bonum, dici non potest: quandoquidem ex beneficentia bonitas aestimatur. Artes autem ingenuas & scientias liberales præclarum Dei donum esse, utilissimumq; hominibus, tam est certum quàm quod certissimum. Neq; verò quisquam ignorat, immensos fructus, & summam utilitatem, quæ ex his, tanquam ex fonte, ad homines scaturiunt atq; promanant. Quæ cum ita sint, quanti id aestimandum esse putabimus, cuius hæc potissimum beneficio manarint in lucem? Certè maximi, & quidem cui quod anteponi aut possit aut debeat, vix reperias. Id autem esse sermonem præcipuè, siue orationem, consensu omnium rectè sentientium constat. Hoc enim unico quasi medio sublato, omnia tam diuina oracula quàm animi humani sensa nobis essent obscurissima, & in densissimis tenebris abdita laterent. Quocirca sedulo nobis

A 2 danda

danda est opera, ut hoc praestantissimum bonum incorruptum  
& inuiolatum obtineamus, cauendumq., ne nostra negligenti-  
tia aut culpa quicquam detrimenti illud patiatur. Verum  
inter ista varia linguarum, id est, sermonis genera, orta pri-  
mum ex confusione Babylonica, ac postea tanquam pretiosum  
depositum & signum fidei ab ipso Christo nobis commenda-  
ta, primum locum tribuimus sermoni Hebraeo, ad quem tan-  
quam fontem reducitur, quicquid laudis non tantum reliquis  
linguis omnibus, sed & vniuersis simul conueniat disciplinis.

De causis  
susceptae p-  
fessionis.

Ac de huius linguae laudibus in praesentia nonnihil verbo-  
rum faciendum duxi, cum esset mihi propositum, subiectissimo  
studio exequi clementissimam voluntatem illustrissimi nostri  
Principis, Electoratus Saxonici pro tempore Administratoris,  
requirentis ab hac Academia ad me deferri munus profes-  
sionis Ebraicae, quod sanè, imbecillitatis meae mihi optimè con-  
sciens, mallet demandatum esse alicui, qui melius illo perfungi  
posset quam ego. Optarim quoq., res ita comparatas esse, ut  
liceret professori antiquo, antecessori meo, diutius perfungi  
eiusdem professionis officio, quemadmodum haecenus multis  
annis illo perfunctus fuit. Nam Deus nouit, me huiusmodi  
quid non affectasse, nec petendo ullius suffragium ambuisse un-  
quam: licet olim liberrimè debitam meam operam & inser-  
uendi promptitudinem hac in parte nostrae Academiae detule-  
rim atq., promiserim. Sed cum iam suo quodam peculiari fa-  
to res eò deuenissent, ut ista professio alij demandanda esset, &  
ex sententia illustrissimi nostri Principis hoc onus ad me esset  
deuolutum: qua quæso fronte illud detrectare aut recusare  
potuissem? Debita igitur obseruantia hoc ipsum in me recepi,  
præstiturus, volente Deo, in suscepto munere tantum, quan-  
tum diuinitus suppeditabitur. Cum verò absq., supremi numi-  
nis auxilio omnes conatus nostri inanes sint & irriti, faxit  
Deus opt. max. ut huic prouincia ita præsim, prout hoc futu-  
rum est



rum est ipsi Deo gratum, & Reip. literaria ac studiosa iuuentuti utile ac salutare. Verum cum sit in more positum, ut sub initium pralectionum publicarum praefationis loco praemittantur nonnulla, ad commendandum genus doctrinae, ad quod professio quavis pertinet, momenti aliquid habentia, idem mihi quoque faciendum est. Quocirca laudes Hebraeae linguae ubertius quodammodo & latius explanare conabor, indicaturus, quanam huius linguae pra alijs sit dignitas, quantaque cum dignitate coniuncta utilitas. De hoc argumento, ut me ex officio pro ingenij mei tenuitate differentem beneuolentem & attentem audire dignemini, qua par est reuerentia & studio peto. Esse autem linguam Hebraeam vetustissimam nobilissimamque omnium, apud nos hodie est in confesso: quippe quam non aliunde initium traxisse accepimus, nisi a solo Deo, qui primo homini Adamo de terra efformato, hanc linguam in ipsa creatione instillauit, eamque solam puram & incorruptam conseruauit, & ad posterum propagauit inde ab initio, usque dum impietas hominum eum perueniret audacia & temeritatis, ut tentarent prohibere Deo, ne totum mundum diluuium iterum perderet, sicut antea fecerat. In quo audaci & temerario facinore perseverarunt, nec ullis monitis Patriarchae Noe, & aliorum tum temporis sanctissimorum virorum, quorum paucissimi erant, a proposito se absterreri passi sunt, ut a ceptis desisterent. Tandem igitur Deus, cuius patientiam iam satis superque abusi fuerant, quod retunderet ipsorum arrogantiam & vanam praesumptionem, pro remedio adhibuit confusionem linguarum: qua effectum est, ut sermone, qui antea vnus & idem omnibus fuerat, diuiso in varia genera, nemo intelligere posset alterum: ac proinde linguis & animis disiuncti, alter ab altero discedere, & incoatum opus relinquere, sunt coacti. Quapropter hoc plus caeteris nobilitatis Hebraea lingua sortita esse videtur, quod alia nihil sint nisi

Hebraea lingua immediate Deum autorem habet.

A 3. confusio

confusio quadam multiplex, qua circa annum mundi 1790. cohibitum est peccatum illud molientium structuram turris Babylonica: hæc verò est unica, simplex & vetustissima, ab ipso Deo in creatione hominibus insita, præter quam nullam primi illius & antiquissimi seculi homines à Deo edocti habuerunt. Hanc enim linguam esse, quam primam usurpauit Deus in creatione & reparatione generis humani in paradiso, eadem quoque Adamum cunctis animantibus creatis nomina ipsis rebus aptissima & conuenientissima indidisse, nemo facile negare poterit. Testatur hoc nomen Adam, qui ab opifice Deo sic appellatus est, quod formatus fuerit ex terra rubente. Radix enim nominis Adam rubescere significat, unde est & nomen Adamah, quod terram rubentem denotat. Ac ipsum Adamum Hebraicè locutum fuisse apparet ex nomine, quod uxori sue indidit, quam appellauit Heuam, quod ipsa esset mater omnium uiuentium. Thema enim ex quo hoc nomen derivatur est אָדָם, viuere significans. Videmus hoc etiam in nominibus Cain, Seth, Noah, Kaino à אָדָם, id est, acquirendo mater nomen indidit: Dicebat enim cum peperisset illum: acquisiui virum, ipsum Dominum: vel virum Domini, ut Lutherus in latina versione hunc locum reddidit. Seth à אָדָם, posuit. Ait enim Eua: posuit mihi Deus semen aliud pro Habel, &c. Noah quietem seu requiem denotat. Harum & similium vocum origo non aliunde quàm ex Hebræo sermone petenda est. Sed cur illis hominibus nulla arte, nullaq; industria humana instructis in mentem venerint verba huius lingue potius quàm alterius? Causa certè vix alia afferri poterit, quàm quod Deus eam voluerit lingua instituere primos illos homines, quæ ad sui verbi declarationem & plenorem intellectum plus aliquid cæteris collatura esset humano generi. Quod etiam re ipsa comperimus. Tanto enim hæc lingua cæteras omnes antecellere videtur, in tradenda doctrina ve-

Deum Hebraicè locutum ex nomine Adam probatur.

Adamum quoque & alios post ipsum usque ad extructionem turris Babylonica locutos esse Hebraicè ostenditur.

Cur primi homines locuti sint Hebraicè

Hebræa lingua in tradendis ar-

na vera religionis, quantum Lucifer stella lucidissima & splendidissima alias mediocris luminis tenuissimiq; splendoris antecedit. Non modo enim omnia mysteria, quotquot populo Dei in veteri Testamento commendata fuerunt, & melius & dilucidius Hebraea ipsa & perlustravit & tradidit: sed etiamsi alio sermone hac exprimere aut efferre nitare, plurimum necessaria lucis, ac propè veritatis ipsius, abstuleris. Exemplum tam in nouo quam in veteri testamento occurrunt, in quibus celebres & excellentes alioquin Theologi inscitia sermonis Hebraici lapsi sunt, & à scopo procul aberrarunt. Et quam plurima notantur hinc inde ab attentis veteris instrumenti lectoribus, quae non parum faciunt ad veritatis illustrationem & errorum refutationem: nec tamen semper ab interpretibus vel animaduersa, vel perspicue satis reddita sunt. Id quod paulò post, ubi de utilitate dicendum erit, propositis aliquot exemplis, declarare conabimur. Ideoq; non adeò perfectum credi potest, quicquid alio sermone de arcanis fidei ante aduentum Christi patefactis scriptum legitur, si cum eo conferatur, quod ab Hebraeis proditum est. Vnde & ab Ecclesia Canone in veteri testamento excluduntur, ac pro apocryphis, id est, talibus libris, qui ad probandum articulos nostrae fidei non satis habent autoritatis seu momenti, reputantur, quotquot non extant in sermone Hebraeo. Obscuritatem verò hanc & errores, quos ex inscitia linguae sanctae prouenire asserimus, non hominum tantum causa euenire dixeris, qui non eam vel curam vel diligentiam adhibuerunt in perquirendis rebus aut tradendis, quam Hebraei homines. (Nam id quoque verè dicitur, quid enim intentatum illis? ut Plinius inquit) sed ipse quoq; ceterorum sermo non eam praestat expressionem quam Hebraeus. Id quod versionis bibliorum tam Graecae quam Latinae argumento intelligere licet, quarum utraq; cum optima & sit & habeatur, ab Hebraeo tamen textu longè

canis verae religionis, omnes alias linguas antecellit.

Libri veteris Testamenti, qui non extant in Hebraeo, sunt apocryphi.

longè superatur. Vnde D. Hieronymus, Hebraei, inquit, bibunt ex fontibus, Graeci ex riuulis, Latini ex lacunis. Quod si Graecus & Latinus sermo linguae Hebraeae elegantiae usq; adeò par esse non potest, cum aliàs vterq; horum sit elegantissimus, quanto minus cum Hebraea ceterae linguae conferri poterunt, quae elegantia & nitore suo à Graeca & Latina longissimè absunt. Habent tamen & illae suum nitorem suamq; elegantiam: neq; negari potest, inesse aliquid singulis propriae venustatis. Non enim est verisimile, ingenij cuiusuis homines nullam omnino curam proprij suscepisse sermonis. Quin potius, quem admodum colendorum agrorum apud omnes pro loci ac caeli qualitate usus est, sed alijs asperius solum ac natura ipsa horridius multum veri cultus respuit ac negligit: alijs contra mitius ac placidius omnem admittit curam, omnemq; industriam: sic quaeuis locutio, splendoris quidem aliquid in se retinet: sed ceteris multa negata sunt in rebus ad doctrinam veteris testamenti pertinentibus, quae Hebraea elegantissimè exposuit, ita vt quae apud alios extant de arcanis fidei ante aduentum Messiae patrefactis, ipsa quoq; reddat non minus eleganter, quam apud illos habeantur: nulli autem vim eius penitissimam possint exprimere. Quo fit vt Doctores Ecclesiae, quoties aliquis scripturae locus occurrit, in cuius expositione diuersitas est, Hebraicam veritatem consulendam conseant. Quamobrem, vt de Graeca lingua dixit quidam, naturam si loqui velit non aliter quam Graecè locuturam: eodem modo si simile quiddam de Hebraea lingua pronunciemus, verisimè nos dicturos non dubito, Deum in tradendis mysterijs veteris Testamenti singulari consilio vti hac lingua, quam etiam ad nos usq; propagauit, vt nimirum elaboremus & exerceamus nos in ea cognoscenda. Quod & luce meridiana clarius esse arbitror. Etsi enim Deus sua mysteria omnibus sanè hominibus in medio proposuit perquirenda, vt cuius in eius

arcanis

anis liceret ingenium exercere: tamen perfectam, de ijs  
 que ante aduentum Messia reuelanda fuerunt, atq; absolu-  
 tam, tradere cognitionem, Hebraeis proculdubio solis concessis-  
 se & reseruasse videtur: adeò ut etiam, quicquid aliarum  
 nationum homines & praestantissimi philosophi in disciplinis  
 profecerint, hoc totum Hebraeis assignandum esse, multi non  
 vereantur affirmare. Quid enim (quæso) sunt philosopho-  
 rum inuenta, nisi ceu gutta quadam ex largissima pluuiâ sa-  
 pientia Iudaica destillantes? Itaq; que ab Hebraeis & comper-  
 ta sunt & tradita, non tam homines explorasse & retulisse  
 credas, quàm Deum ipsum de se singula prodidisse: atq; adeò,  
 ut in philosophorum scriptis illorum ipsorum hominum sermo  
 sit, de sapientia variè differentium, in Hebraeis, Deus ipse,  
 quod dixi, loqui videatur. Quod si hodie apud nos extarent  
 philosophici libri veterum Hebraeorum (in quorum numero  
 præcipui fuerunt, quos de historia animalium & plantarum  
 conscripsit sapientissimus ille Rex Salomon) dareturq; occasio,  
 ea, que ab Hebraeis inuenta & tradita sunt, cum cæterorum  
 philosophorum traditionibus, conferendi, nemo nostrum (opi-  
 nor) non tantum Hebraea splendore & veritate cæteris præ-  
 stare, ingenuè fassurus esset, quantum claritate solis lucem  
 reliquorum siderum superari, constat. Quid enim veri ac  
 solidi in tota philosophia, omnium scientiarum parente ac do-  
 mina, aliunde, quàm ab Hebraeis, ortum esse dicemus? Tan-  
 tum certè abest, ut quicquam cæteri contrulerint veræ ac so-  
 briæ philosophiæ, ut, si qui etiam ex alijs nationibus eius ali-  
 quando studio incensi fuerint, vel ad ipsos Iudæos, vel ad  
 cognatas & vicinas horum gentes, Aegyptios nimirum, Chal-  
 dæos & Syros, migrarint, ab ijsq; nonnihil de Hebraeorum sa-  
 pientia perceperint. Ac sanè, temporibus Pythagoræ, penè  
 nullam, aut certè occultissimam, in Græcia extitisse philoso-  
 phiam, refert Augustinus lib. 3. contra Acad. cap. 17. ideoq;

Philosopho-  
 rum præci-  
 pua dogma-  
 ta ab He-  
 braeis sunt  
 orta.

Pythagoras  
 cum Iudæis  
 conuersa-  
 tus.

B

varias

Aegyptij ab  
Hebraeis fu-  
am habuere  
philosophi-  
am.

Mercurius  
Trismegi-  
stus.

Aristoteles.

Plato.

varias ipsum regiones perlustrasse, discendi causa. Eundemq;  
cum Iudeis aliquandiu conuersatum, & horum mysteria di-  
ligenter perscrutatum fuisse, sunt qui affirmant. Quin &  
Aegyptios, si quid de philosophia habuerunt, ab Hebraeis hoc  
ex parte accepisse, est cur credatur. Nam Patriarcham  
Abrahamum aliquandiu in Aegypto fuisse peregrinatum, sa-  
cra tradunt historia. Non est autem verisimile, ipsum in vr-  
be regia Aegypti commorantem, nihil ibidem tradidisse, de  
creatione & causis rerum, quarum prima est Deus, de ani-  
morum immortalitate, de vita bene instituenda, & id genus  
alijs rebus, in quarum inquisitione & contemplatione Pytha-  
goras, Plato, Aristoteles, & reliqui summi philosophi sese  
maximè oblectarunt. Huius insuper posteritas, Iosephus ni-  
mirum pronepos, venditus à fratribus, & Patriarcha Iacob  
nepos, cum vniuersa familia descendens in Aegyptum, procul  
dubio in illa terra multos docuerunt de rebus maximis, di-  
uinis & humanis, quarum scientia ad philosophiam pertinet.  
Hinc Mercurium illum Trismegistum, id est, ter maximum,  
cuius duo libri philosophici ad huc sunt in manibus, suam ha-  
buisse philosophiam existimatur. Ex huius dogmatibus non  
pauca percepisse videntur saniores philosophi, qui, ob amo-  
rem philosophiae, magna copia olim in Aegyptum proficisce-  
bantur. Sed quid opus est alios commemorare, cum ipse A-  
ristoteles, teste Clearcho sectae Aristotelicae haud ignobili  
alumno, confessus fuerit, se à Iudeo quodam, Graeci sermonis  
perito, multa didicisse? Et Platonem, praectorem Aristote-  
lis, omnem penè suam philosophandi rationem, à Iudeis ha-  
buisse, testes sunt Iustinus Martyr, in Paraclesi ad gentes, &  
Eusebius de preparatione Euangelica, & Theodoritus de  
Graecorum affectibus. Hinc & Numenius philosophus dicebat:  
ὁ ἐστὶ Πλάτων ἢ Μωϋσῆς ἀπὸ τῶν Ἰουδαίων, quid est Plato nisi Moyses A-  
sicissans? Et Aristobulus Iudaeus ad Philometora lib. 1. scilicet  
Iuse-

Eusebius citat. Legem, inquit, nostram in multis Plato secutus est: aperte namque in multis diligenter examinasse singula videtur. Mosaica enim volumina, ante Alexandrum, & ante Persarum Imperium traducta fuerant, unde plurima, sicut & Pythagoras philosophus ille, accepit. Hac Eusebius. Quod cum ita sit, mirum profecto videri non debet, si ex alijs orbis partibus ad Iudeos olim homines confluere soliti fuerint discendi gratia. Vt enim cetera animantia eò precipue trahuntur naturali impetu, ubi vesci atque impleri cibo maximè possint: Ita homines illuc sua sponte duci verisimilimum est, ubi largissima sit copia spiritalis cibi ac verè diuini, quem suppeditat Hebræa lingua, quæ apud Iudeos imprimis claruit. Indeque factum est, ut plerique philosophi inuentionem artium ipsis Chaldeis Iudeorum vicinis, ascripserint. Neque id nunc dico, non posse ullos homines philosophari, Hebræa lingua ignaros, sed quicquid ceteri philosophati fuerint, ad philosophiam Hebræorum tanquam ad caput referri, & sine hac saltem incoatum quiddam aut non absolutum, adeoque mancum & mutilum esse, trunci instar, capite carentis. At dicet aliquis: plerosque post Aristotelem Græcos philosophos, & qui hos secuti sunt Latinos, Ennium, Plautum, Terentium, Ciceronem, Virgilium, Senecam, Plinium, Quintilianum, atque alios à Iudeis vel nihil vel parum didicisse, attamen non minus præstantissimos fuisse philosophos. Ego verò non negauerim, hos viros præcellenti philosophiæ cognitione fuisse instructos, licet fortè Iudeos, aut horum vicinos, quorum ante facta est mentio, discendi gratia nunquam adierint. Relinquatur igitur sua laus his præstantissimis viris, ut appellentur philosophi, interim tamen & illud concedatur, ipsos pleniorè & perfectiorè cognitionem eorum quæ perceperant habere potuisse, si limpidissimos fontes potius voluissent adire, illosque degustare, quàm aquam, ex riuis & lacunis admo-

Hebraea om-  
nium alia-  
rum lingua-  
rum fons est.

dum turbidis, haustam, imbibere. Atq; haec de Hebraea lingua, quantum vel nobilitate vel usu ceteras antecellat, dicta sufficiant: nunc quantum alijs linguis adiumenti praestet, videbimus. Cumq; ex ante dictis manifestum sit, hanc linguam fontem esse linguarum omnium: has singulas si examinare voluerimus, deprehendemus in ijs multa vestigia, ostendentia, eas omnes, tanquam degeneres matris tam venustae filias, adhuc lineamenta eius non pauca, usurpare. Apparet hoc, ut alia omittam, in Latino nomine cadus, quod est à Greco κάδος, hoc verò ab Hebraico קד esse constat. Eodemq; modo saccus ex סַכּוּס, & transpositis literis, סַכּוּס, hoc ex Hebraico קש, profectum est. Sic Arrhabo latina lingua sumpsit è Graca, haec ex Syriaca, quae illud habet ex Hebraeo קשר, vadimonium aut pignus. Idem autem, non tantum in Latina & Graca, sed etiam in nostra Germanica, alijsq; quàm plurimis, usu venire certum est. Quin etiam in primis hoc demonstrant omnes linguae populorum, versus ortum & meridiem habitantium, per totam nimirum Asiam, & Africam, quae duae maximam partem constituunt orbis habitabilis. Harum siquidem gentium linguas Hebraeae maximè coniunctas, & ex illa quasi prognatas esse, res ipsa loquitur. Quare quid aliud esse dicemus Hebraeam linguam, si ad alias conferatur, quàm illarum matrem & genitricem, cui reliquae, quicquid in illis boni est, acceptum referre debent. Haec verè virtus est reliquarum linguarum, sub cuius, velut alloquentis unam ex ceteris, persona, si Ovidianum illud protulerimus, non abs re fortasse dixerimus. Ergo ego sum virtus, ego sum tibi nobile regnum. Tantum igitur, vel cognationis vel coniunctionis cum Hebraea, sortitae sunt aliae linguae, ut esse fortasse possint sine illa, benè autem esse non possint. Quemadmodum homo sine virtute ut sit, nihil prohibet: ut verò benè sit, fieri non potest, si virtus non adsit. Minimè autem indignari



indignari debent linguae aliae, quod ex Hebraeo manarint, sed gloriari potius. Quomodo enim non esset bonum, quod ab optimo autore initium sui traxerit? Accommodatissimus igitur est cuilibet rei unusquisque sermo, qui ex Hebraeo processerit. Relucet enim in illo imago quadam & exemplum, licet rudius & imperfectius, sermonis Hebraei, ut quicquid in hoc sit, in alijs quoque linguis eniteat. Principio enim si elementa ac literas, earum inter se contextum, intueare, eandem maxima ex parte in omnibus linguis inuenies rationem: si uerba ac voces, eodem modo significare, eodemque modo necesse & construi, ac penè vim habere eandem. Quippe, multa quoque reliquae linguae ab Hebraeis accepta, sua fecerunt, partim seruatis iisdem, partim uerò additis, demtis, mutatis, transpositisue literis: ut in paucissimis illis exemplis, paulò antè citatis, liquet, quorum sexcenta eiusmodi obseruare poterunt ij, quibus placet, instituire comparationem quandam aliarum linguarum, cum sermone Hebraeo. Orationis uerò compositio in omnibus linguis ita congruit Hebraeae, ut quaecumque in hac ob oculos posita cernimus, quo ad rationem dicendi, eadem plerumque in reliquis linguis seruentur, & seruari iubeantur. Nam, & quas dicunt sententiarum, & quas orationis, figuras, in usu à ceteris non minus receptae sunt, quam ab Hebraeis, quamuis nomina & appellationes quibus illas exprimimus, à Graecis primum inuenta & tradita sint. Nihil autem nunc dico de prosodia, quae unicuique uoci in omnibus linguis peculiarem & conuenientem tribuit accentum: nihil item de distinctionibus sermonis grammatici, quae sunt per puncta, cola, commata, & subdistinctiones. Hac in parte, etsi multa sint communia plerisque linguis: ceterae tamen ab Hebraea, longissimo interuallo, superantur. Neque uerò casu euenire dixeris tantam hanc conuenientiam, sed diuino quodam consilio & prouidentia. Est itaque Hebraeus sermo dux,

Conuenientia aliarum linguarum cum Hebraea.

Hebraeus  
fermo ad  
doctrinam  
pietatis &  
religionis  
multum  
prodest.

fons & origo linguarum omnium, non parum habens momenti, ad certiore cognitionem earum. Quemadmodum enim, si principium atq; origo rei teneatur, sciri res ea melius potest: ita reliquæ linguae, cognita Hebraea, perfectius teneri poterunt. Quod si te ad doctrinam pietatis & religionis contuleris, ac eius solidam cognitionem ex scriptis Biblicis sectari volueris: iam verò hic quàm sepe hallucinaberis, si te Hebraeis priuaris? Omitto enim philosophiam, quæ ut multa habet propria peculiariaq; in vnoquoq; artium genere, sic multa etiam retinet, doctrine Hebraeorum & præceptionibus aliarum gentium ita communia, ut quod in illa tradatur, his non minus sepe conueniat. Quare (ut antè diximus) Hebraicis quoq; fundamentis niti philosophiam, non pauci censent. At verò salutaris doctrina, tam potest sine Hebraicis literis perfectè cognosci, quàm sine scriptura vtriusq; fœderis. Nisi fortè à Doctoribus Ecclesie vel nosci vel tradi melius existimemus, aut ijs libris perdisci posse, qui ex scriptura vtriusq; fœderis translati aut velut riuuli deducti habeantur: in quibus multa sunt, quæ, si respiciat scriptura, non recognoscat, sed (quod de aquila dici solet, pullos nacta non legitimos) reijciat ac nolit pro suis: quippe quæ lucis scripturæ radios non ferant. Possent hoc loco afferri multa scripturæ dicta, ab alijs aliter exposita, non rarò etiam ab hereticis in prauum sensum detorta, in quibus Hebraica veritas sequenda est, quàm qui ignorant sepe falluntur. Quàm multa autem sunt in ipso Hebraeo textu, quæ aut in alium sermonem transferri optimè nequeunt, aut si transferantur, sensum ipsum scripturæ non vsquequaq; reddant. Quod ea de causa dictum velim, quod nonnulli existimant, si legant Bibliorum quascunq; translationes, statim se sententiam tenere Scripturæ. Quæ res multos fallit, & quidem non indoctos, cum & qui transferunt sepe ipsi hallucinentur, atq; aliud pro alio reddant: & qui legunt,  
aliter

aliter plerumq; accipiant, quàm ab eo dicantur. Tàm igitur Sacra Scriptura sine Hebraeis literis intelligi potest, quàm sine se. Sed nunc ex multis pauca saltem Scripturae testimonia attingemus, quae sine Hebraeae linguae cognitione benè intelligi & explicari vix possunt. Attamen eadem dextrè exposita, de praecipuis quibusdam nostrae religionis capitibus nos admonent, & ad refellendas haereses multum valent. Transeo igitur ad ea, quae doctrinam de tribus personis in unitate diuinae essentia illustrant, quorum orthodoxa interpretatio ita ab Hebraea lingua pendet, ut, quod de furore ait Plato, inanem esse hominis conatum, qui sine furoris ea, quam vult, specie, ad poëticas fores accesserit, de ignaro Hebraicarum literarum dici possit, incassum scilicet eum laborare. Nunquam enim assecuturum plenum illorum dictorum intellectum. Nam ut omittam nomen  $\text{יהוה}$ , quod in plurali numero unum & solum Deum denotat, ut alias voces quae idem designant: nonne ex Hebraeo tota pendet locutionis forma, qua usus est Abraham Gen. 20. vers. 13. inquit: Et factum est, postquam errare fecerunt me Deus: an non, inquam, haec ita Hebraeorum propria est, ut vel ab illis sit accipienda, vel illorum more consingenda? Quod si qua etiam ab interpretibus de hac optimè prolata extant, ea aut ex Hebraeis pendent, aut manca sunt, & ad Hebraeos nihilominus referenda. Est enim hic loquendi modus Hebraeis vsitatus, quo uni soli Deo verbum tribuitur aut adiectiuum plurale. Illa quoq; locutio, qua allocutus est Iosua Israëlitae, cap. 24. de Deo inquit  $\text{אלהים קדשיו הוה}$ , *dy* (vel Deus) sancti ipse, ita Hebraeorum peculiaris est, ut quamplurimi ex interpretibus, quoties illius expositionem in medium adducunt, hanc ab Hebraeis petant, qui eandem vsurpantes, admonent nos de augustissimo & mirando arcano unius & trini Dei. Dictum insuper Davidis, quod legimus in lib. 2. Sam. ca. 7. v. 23.

eandem

Testimonia  
de Triunitate.



eandem habet rationem. Sic enim inquit: Propter quem iuerunt Diſ, idem declarans, quod in precedentibus exemplis animaduertimus. Quid quod & nomen Dei proprium, aliquoties in eadem ſententia repetitum, de diuerſis perſonis intelligi, eſt neceſſe, vt Gen. 19. verſ. 24. Igitur Dominus pluit (vel fecit vt plueret) ſuper Sodomam & Gornorrarum, ſulphur & ignem, à Domino de cælo. Hic nomen Dei eſſentiale, Iehoua, bis repetitum, de diuerſis accipiendum eſſe, videmus. Nam diſtinctam eſſe perſonam qua fecit vt plueret, ab ea à qua pluuiam illa demisit, quis neget? Similiter & Zach. 2. habetur: Exulta & latare filia Sion, quoniam ecce ego venio, & habitabo in medio tui (inquit Iehoua) & cognosces, quod Iehoua miſerit me. Hic Dominus teſtatur, ſe à Domino miſſum eſſe. Conſtat autem, aliam perſonam eſſe mittentem, & aliam miſſam: quarum vtraque obtinet nomen Dei eſſentiale & ineffabile, cuius vim & poteſtatem nulla mens creata concipere, nedum vlla lingua, ſiue angelica illa ſit, ſiue humana, exprimere ſatis poteſt, Quin & hoc conſideratione haud indignum eſſe exiſtimo, quod in hac lingua omne thema (quam radicem Hebraei vocant) ſacroſanctæ Triados myſterium, quodammodo reſentet, in terminis literis, quibus vnumquodque conſtat: Vnde & ſanctæ non immerito appellatur, quod ſanctam Trinitatem, qui eſt Deus vnus & ſolus ter ſanctus, adeo manifeſte referat, aliorumque ſanctiſſimorum arcanorum fontem aperiat. Ideoque dixit Hieronymus in ea tot eſſe Sacramenta, quot ſunt literæ, tot myſteria, quot puncta, tot arcana, quot apices, quorum nullum præteriturum Chriſtus ipſe dicit, donec impleatur. Ac de articulo Trinitatis hæcenus. At (puto) locus de perſona Chriſti bene intelligi poteſt, ſine literis Hebraicis, duce Scriptura noui Teſtamenti? Negari proſectò non poteſt, nouum fœdus veluti normam eſſe articuli noſtræ fidei de Chriſto, præſertim

De perſona  
Chriſti.

sertim si benè teneatur in eo vis atq. sermonis ratio: sed id qui fieri potest sine Hebraeorum literis? Quemadmodum enim de artibus, quæ à Græcis primum inuenta sunt, nonnihil quidem verborum facere potest aliquis ignarus Græcæ linguæ, nesciens interim, utrum consentiant ea, quæ profert, cum primo fonte, undè dimanarunt: eodem modo potest & quis, Hebraicis literis non imbutus, benè eloqui, ac rectè tenere ea, quæ ad salutem nostram de Christo cognoscenda sunt, sed ita ut intelligat, se scire & loqui ex fundamentis satis firmis ad resistendum omnibus contradicentibus, vix credi potest. Vis enim ipsa sermonis in nouo Testamento, magnam partem dependet ex Hebræo, tanquam ex suo fonte. Huc accedit, quod quæ de Christo ab alijs traduntur, multis nõ satisfaciunt, aut parum sunt idonea ad plenè explicandum singula, quæ in Bibliorum textu latent: quæ verò ab Hebræis, adeò sunt absoluta & perfecta, ut quod in illis desideretur, vix, ac ne vix quidem, ostendi queat. Deniq. cognitionis doctrinæ Christianæ reuelata post exhibitum Messiam, potest in alios quoq. multum redundare: at Euangelium de Christo nondum exhibitum, prædicatum inde ab initio mundi vsq. ad ipsius aduentum, totum Hebræis debetur. Quod nec Christum quidem dissimulare voluisse, palam est, cum inquit: Scrutamini scripturas. Non enim de alijs hoc intelligendum est, quàm de scriptis Moysis & Prophetarum, Hebræo sermone exaratis, quorum tanta est autoritas, ut nullis machinis aut cuiusdam hominis ingenio aut arte subuerti possint. Et licet in causis nullum patronum aut defensorem obtineant, tamen per se ipsa defenduntur. Paulus quoque Apostolus, Euangelium de Christo ante prænunciatum fuisse, per Prophetas, in Scripturis sanctis, testatur. Et noster Saluator, post gloriosum triumphum resurrectionis à morte, duos discipulorum iter facientes Emmauonta, & de resurrectione dubitantes,

C

hoc

hoc imprimis nomine reprehendit, quod non habeant fidem scriptis Prophetis: Et ex Moyse, Psalmis & Prophetis declarat, quid de Messia prædictum & præfiguratum fuerit. Quo fit, ut Apostolus Iudeis hanc prærogatiuam præ gentibus tribuat, quod commissa sint illis oracula Dei, quodq; ipsorum sit adoptio & gloria, testamenta item, & legis constitutio, cultus deniq; & promissiones: in veteri nimirum Testamento, per Moysen & Prophetas factæ. Hinc manifestum est, doctrinam de Christo, non tantum in nouo, sed etiam in veteri Testamento, querendam esse, ac proinde, hic quoq; Hebræos fontes consulendos. Dan. 9. perspicuum extat testimonium, quo ex Hebræo sermone probatur, Prophetas etiam per Christum se petiisse exaudiri, ubi legimus: Nunc itaq; exaudi Deus noster orationem serui tui, atq; precationem eius, illumina faciem tuam super sanctuarium tuum, quod est desolatum: propter Dominum. Hic manifestè orat Prophetæ Deum, ut preces ipsius exaudiat, & illuminet vultum suum super locum sanctum, propter Dominum. Non propter semetipsum, ut vulgata habet translatio. Etenim nomen כִּבְיָהּ, ut Försterus notat, subscripto sub litera nun kametz, semper & ubiq; de sustentatore Deo dicitur, id est, Filio Dei, eò quod ipse sit sustentator, & columna Ecclesiæ suæ. Intelligimus igitur per Dominum venturum illum Messiam יֵשׁוּעַ מְסִיחַ, qui est Christus Filius Dei viui. Præterea ad refutandum delirium, seu fanaticam opinionem Arrij, negantis, Christum esse Deum coeternum Patri, & pro se adducentis testimonium Salomonis, multum facit inspectio textus Hebræi. Nam cum in Prouerbijs Salomonis cap. 8. vers. 22. Sapientia Dei, qui est æternus Dei filius Christus, de se inquit, Dominus possedit me in initio viarum suarum: Græcus textus habet ὁ κτίσας ἐξέλασέν με, Dominus creauit me. Quam interpretationem sequitur & Augustinus, de doctrina Christiana lib. 1. cap. 34. & alibi.

Vnde

Vnde ratiocinati sunt, sapientiam illam esse creaturam, ante omnes alias res conditam. Sine itaq; ab ipsis LXX. interpretibus dictum Salomonis ita sit expositum, siue ab aduersarijs (ut quidam putant) deprauatum, mutato ἐκ τῆς per η quod est ex ἔκαστος possideo, in ἐκ τῆς per ι quod est ex ἔκαστος, creo, condo: qua (quæso) ratione occurri illis melius posset, quam per fontes Hebræos. In his enim reperitur vocabulum קָבַבִי, quod est possedit me, non autem, בְּרָאֵבִי, id est, creauit me. Sensus igitur est: Sapientiam fuisse penes Deum, in principio vie eius, id est, instituti operis eius, vel creationis eius. Id quod & Iohannes Euangelista, statim ab initio sui Euangelij, declarat, inquit: In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Huiusmodi plura de persona Christi adduci possent. Sed hæc dicta sufficiant habita ratione temporis. Virginitatem porrò beatæ Mariæ, & Θεοτόκου matris Filij Dei, ex sermone Hebræo, vaticinij quod extat Esa. 7. vindicare possumus à calumnijs Sophistarum, malitiosè interpretantium verba Prophete, & contendentium, quod virgo quædam deinceps paritura esset, neq; tamen in conceptu & puerperio pudoris intemerati decus retentura. Nam Grammatica ipsa ostendit, merum hoc esse Sophisma. Etenim Scriptura, ad anteuertendum huiusmodi cauillationes, ita loquitur: Ecce virgo concipiens, seu, pragnans & pariens filium: Vbi tam nomen הָרָה pragnans, quàm participium presens יוֹלֶדֶת pariens, ostendunt in conceptione & partu virginem ipsam esse & manere. Voce autem יוֹלְמָה, denotari virginem innuptam, testantur multi ex interpretibus Hebrææ linguæ. Ac consideratione digna sunt ea, quæ ex Hieronymo citantur in lexico Pagnini, cuius hæc sunt verba: D. Hieronymus in hunc modum scribit de hac dictione יוֹלְמָה, c c Halmah (inquit) non solum puella vel virgo: sed virgo ab- c c scondita dicitur & secreta, quæ nunquam virorum patuerit c c

De virginitate Mariæ.



- 22 aspectibus: sed magna parentum diligentia custodita sit: Lin-  
 23 gua quoque Punica, qua de Hebraorum fontibus ducitur, pro-  
 24 priè virgo מַחְוֵהּ appellatur. Et quanquam cum mea pugno  
 25 memoria, nunquam me arbitror מַחְוֵהּ in muliere nupta le-  
 26 gisse. Non est ergo verum, quod scribit Rabbi David in  
 27 libro Radicum מַחְוֵהּ vocari tam virginem, quam marita-  
 28 tam, id est, uxorem Prophetae aut Achaꝝ. Et sic illud Pro-  
 29 uerb. 30. non posse exponi de virgine, quia dixit postea: Sic  
 30 via mulieris adulterantis. Sed haec vana sunt, ut in nostris  
 31 annotamentis, & in libello contra Iehudeos annotauimus.  
 32 Haec enim longa declaratione indigent. Haecenus ille.

Quae verba nunc commemorare visum fuit, propterea quod  
 faciant ad praesentem Esaiæ locum illustrandum, & ad asse-  
 rendum confitendumque, quod Maria Christi genitrix fuerit  
 ἀνεμίωτος ἀὲν παρθένος, id est, intaminata semper virgo.  
 Quod si praeterea, aduersus virginitatem Mariae & Θεοτόκος,  
 ab aliquo Heluidiana heresi addicto, obijciatur illud, Matth. 1.  
 Non cognouit Ioseph Mariam, ἕως οὗ ἐτεκε, donec peperisset,  
 quo probare tentant, Mariam, postquam peperisset Christum,  
 non mansisse virginem: huic responderi posset ex significatione  
 particulae ἕως, Graecè expositae per ἕως. Etsi enim verum est,  
 hanc particulam accipi inclusiue, tamen plerumque exclusiue  
 usurpatur. Nam ex multis scripturae locis patet, eam perpe-  
 tuitatem & infinitatem indicare. Quapropter cum dicitur,  
 Non attigisse Iosephum Mariam suam coniugem, donec pe-  
 perisset primi partus filium suum, appellatum IESUM: hoc  
 innuitur, absque congressu cum viro eam filium illum peperisse.  
 Neque postea alios peperisse hinc inferendum est: sicut cum le-  
 gimus 2. Sam. cap. 6. Mical filia Saulis non fuit filius usque  
 ad diem mortis suae, nihil aliud potest intelligi, quam ipsam  
 nunquam peperisse liberos. Et Psal. 110. Sede à dextris meis,  
 donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum, ubi non  
 sequi-



sequitur, quod Christus non sit amplius sessurus ad dextram patris, quando sibi subiecti fuerint inimici ipsius, ut cum Forstero loquar. Quin potius, nihil aliud hic potest intelligi, quàm iuberi Dominum illum, aeternam habere sedem ex Domini dextris. Et Christus ait: Vobiscum sum usq; ad consummationem seculi, id est, nunquam à vobis abero, & nunquam vos deseram. Hac de virginitate matris Christi diligenter sunt obseruanda, cum videamus, etiam ex patribus Epiphanium, dicto Euangelista demonstrare conatum fuisse, Mariam post Christum plures peperisse liberos, ex Ioseph patre. Sed de hoc capite satis. At verò doctrina de immortalitate animorum tam potest sine Hebraeis literis contra aduersarios defendi, & integra seruari, quàm sine scriptis Biblicis. Obijcienti enim aliquo de Epicureorum grege locum, Psal. 146. Egre- dietur spiritus eius, & reuertetur in terram suam: & hinc inferenti, animas simul cum corporibus in terram redactas, mori: qua, queso, ratione occurrendum erit, aut quidnam huic contradicendum? Quod si versionem aliquam, Hebraeo textui consentaneam, attuleris, & persuadere non possis, ut eandem plus habere momenti sentiat, quàm vulgata, quid faciendum erit? nonne plana & expedita via futura est, si inspecto textu Hebraeo, cuius auctoritati neminem facile resistere posse existimo, demonstres, inde ipsum longissimè aberrare, & à vero sensu propositi loci procul abesse? Ceterum verba Hebraea haec sunt: — — — — —

אל תבטחו בנתיבים בן אדם שאין לו תועה  
תצא רוחו ישוב לארצתו ביום ההוא אברו עשתתו:

Quae verba, ut vitetur ambiguitas, hunc in modum Latine reddimus: Nolite spem collocare in principibus, in filio hominis, penes quem non est salus. Egre- diente spiritu eius reuertetur in terram suam, in die illa percunt cogitationes eius. Syntaxis profectò indicat, aliud esse nomen, ad quod referatur

C 3 verbum

De immor-  
talitate ani-  
morum.

verbum  $\text{אֲנִי}$ , egredietur, vel egressura est, in fœminino genere: & ad aliud referri masculinum  $\text{אֲנִי}$ , reuersurus est. Nominatiuus igitur, pertinens ad prius verbum, est fœmininum  $\text{רוּחַ}$  spiritus vel anima, quæ in morte egreditur ex homine: posterius verò verbum, quod est masculini generis, spectat ad  $\text{בְּרִיָּה}$ , filius hominis, id est, homo posito toto homine,  $\text{συνεδοχικός}$ , pro parte ea, quam Deus ex gleba terre formauit: de qua scriptum est: puluis es, & in puluerem reuerteris. Secus enim insignis esset Solæcismus in constructione, posito verbo masculino, quod conuenire debet cum nomine generis fœminini. Nequaquam igitur patrocinatur dictum Davidis, impie assertioni de mortalitate anime humane. Et quoniam cum immortalitate animorum coniunctionis nonnihil habet mortuorum resurrectio: de hac quoque pauca subiungemus. Quantum autem in hac doctrina parte utilitatis præstet sancta lingua, si non aliud, at certè unicum dictum Psalmi primi testatur. In hoc enim legimus iuxta vulgatam translationem, cum qua conuenit & interpretatio septuaginta. Impios non resurrecturos in iudicio. Hinc prodijt error, non futurum, ut excitentur impij ex mortuis, in extremo die. Ac videtur hunc errorem peperisse, ignorantia vera significationis vocabuli  $\text{אֲנִי}$ . Hoc enim verbum, (ut Mercerus inquit) cum de consilio dicitur, verbo, doctrina, iudicio, promissione, & id genus alijs: significat stare, consistere, ratum, firmum & stabile esse. Sic Deut. 19. In ore duorum aut trium testium  $\text{אֲנִי}$  stabit omne verbum. Paulus Apostolus, allegans hoc dictum, reddidit verbo  $\text{συνίστημι}$  constituetur, stabilietur, id est, ratum, & firmum erit. Vox igitur  $\text{אֲנִי}$ , quàm habet Psalmus, non significat resurgent, sed potius consistent, & stabilientur, quasi dicat, non poterunt impij consistere ante tribunal Dei seueri iudicis: nec erit illis, quo se defendere aduersus iratum iudicem possint.

Sed

De resurre-  
ctione mor-  
tuorum.

Sed causa sua cadent, & condemnabuntur adiudicati aeterno igni, qui nunquam extinguetur, sed semper eos excruciat. Locus verò de bonis operibus & iustificatione coram Deo, eò magis indiget Hebraeis literis, quo maius periculum affert error pontificius de merito bonorum operum. Ad hunc enim refutandum plurimum valet illud Esa. 45. Mibi iurabit omnis lingua, inquit Dominus, & dicet: Tantum in Domino sunt iustitiae meae & robur. In hoc dicto, si ex Hebraea lingua demonstrauerimus, particulam  $\text{אני}$ , initio sententiae positam, vim obtinere exclusivae, illudq; aliquot scripturae locis planum fecerimus, aliquid (ni fallor) ab aduersarijs obtineri poterit. Nec fuerit ad refutandum alios quoq; errores inutile studium sanctae linguae. Nam multa reperiuntur, quae cum vel ab interpretibus non satis conuenienter exposita sint, vel postea ab alijs deprauata, haeretici ad stabiliendas suas opiniones trahunt. Sic in prima promissione, de semine mulieris contrituro caput serpentis, pronomem masculinũ Ipse, vel negligentia alicuius scriptoris, vel à quodã cultore B. Mariae mutatum est, in femininum Ipsa, ac si de muliere hoc intelligendum esset. Sed Hebraeus textus non habet femininum  $\text{אני}$ , sed masculinum  $\text{אני}$ , referendum ad semen benedictum, qui est Christus, non ad mulierem. Huc refer & illud, quod, pro stabilienda & probanda missa pontificia, nonnulli adducunt locum, qui habetur Gen. 14. v. 18. afferentes translationem huiusmodi: Melchisedek obtulit panem & vinum. Sed hanc versionem corruptam esse, probatur ex Hebraea voce  $\text{אני}$ , quae nusquam legitur in significatione offerendi, sed semper proferre seu promere aliquid, significat. Atq; haec sunt, quae de Hebraea lingua vel nobilitate vel utilitate dicenda sese nobis obtulerunt. Quae omnia, non tam laudandi gratia praclarissimam linguam, quam nosmetipsos admonendi dicta existimari velint. Quippe, cum in ea perdiscenda doctores Ecclesiae ita laborandum putarint, ut ex veteri

De bonis  
operibus.

veteri Testamento sine illa vix quicquam solidè intelligi pos-  
 se censerent. Latine quidem linguae homines ( inquit Au-  
 gustinus ) quos instruendos suscepimus, duabus alijs ad scri-  
 pturarum cognitionem habent opus, Hebraea scilicet & Graeca,  
 ut ad exemplaria praecedentia recurratur, si quam dubitatio-  
 nem attulerit Latinorum interpretum infusa varietas. D.  
 Hieronym. Sicut in nouo ( inquit ) Testamento, si quando  
 apud Latinos quaestio oritur, & est inter exemplaria varietas,  
 recurrimus ad fontem Graeci sermonis: Sic in veteri Testa-  
 mento, si quando inter Graecos Latinosq; diuersitas est, ad He-  
 braicam recurrimus veritatem, ut quicquid de fonte profi-  
 ciscitur, hoc quaeramus in riuulis. Nemini igitur mirum vi-  
 deri debet, Hebraeam linguam tantoperè à nobis probari com-  
 mendariq;, in qua videmus doctores Ecclesiae plus laborandum  
 existimasse, quàm in alijs, quarum & parentem, & altricem  
 illam, proculdubio, & crediderint & predicarint: à qua et-  
 si nihil aliud, doctrina certè nostra fidei, fluxerit. Neq; verò  
 existimemus, nos incassum laboraturos, studio huius linguae  
 incumbendo, cum peruideamus & doctissimorum multorum  
 exemplo, & veterum testimonio, omnem vim sermonis Te-  
 stamenti veteris, & ex magna quoq; parte noui, in Hebraeo  
 consistere. Quod cum & re ipsa demum cognoscamus, non  
 committendum putemus, quo minus nos ipsos, quantum in no-  
 bis est, ad eundem adhortemur, excitemus, & calcar nobis  
 addamus, nec difficultate rei deterreamur. Cum enim ( quod  
 iam diximus ) tanta sit illi cum ceteris linguis coniunctio, ut  
 eadem propemodum singulis conueniant, non video quid ob-  
 stet, quo minus eadem, qua sermo Latinus aut alius, imò  
 maiore facilitate, Hebraeus quoque, perdisci possit, Quo fit, ut  
 non magis praepatore nobis opus esse duxerim, quàm monstra-  
 tore, qui in memoriam suggerat, excitetq; Hebraea veluti ve-  
 stigia, quae subobscura tenuiaq; nostris ingenijs iam diu repo-  
 sita

*sita conditaq; seruantur. Expergiscamur igitur ad capes-  
sendum Hebraas literas, quæ dignitate & utilitate omnibus  
alijs præminent, & facilitate addiscendi nulli studiorum ge-  
neri cedunt.*

D I X I.



Oratio altera,  
DE HEBRÆÆ, GRÆCÆ  
ET LATINÆ LINGVÆ STUDIO  
CONIVNGENDO, RECITATA IN  
promotione Baculariorum 5. die Iulij,  
Anno 1595.

**Q**uam ob causam, auditores or-  
natissimi, præsens conuentus indictus  
sit, ex programme spectabilis Domini  
Decani est manifestum, nimirum, ut  
primo in artibus liberalibus gradu or-  
nentur, seu Bacularij fiant & renun-  
cientur, in medium producti candidati  
sex. Quæ renunciandi prouincia, nunc, more in hac schola  
solenni, sorte mihi obtigit. Cum autem consuetudo laudabili  
consilio introducta, requirat, ut in huiusmodi conuentibus  
ille, cuius ea, quæ nunc mea, partes sunt, recitet nonnulla con-  
sideratione digna, de rebus necessarijs, & ad liberales artes  
potissimum pertinentibus, idem quoque mihi est faciendum.  
Quam quidem ad rem, seligere libuit argumentum huic loco  
D & actui

& actui imprimis conueniens, & à professione mea minus alienum. Locus autem in quo versamur, schola est philosophica, actus hic institutus est, ut in eo presentibus nostris Candidatis testimonium præbeatur eruditionis & profectus, in artibus dicendi potissimum, quæ instrumenta sunt philosophia, versantia circa sermonem quemlibet, professio denique mea sermonis est, Hebraei nempe, ex quo reliquus sermo omnis profluit atque promanat. De sermone igitur non nihil commemorare non inconsultum erit: Sermone, inquam, non omni, sed eo saltem, qui singulari quodam Dei consilio usum suum, in scholis præcipuè, exerit, Scholarumque proprius ferè est & peculiaris, ac is trium linguarum, Hebraeæ, Graecæ & Latinae, quæ principales sunt, & quasi capitales linguae, in scholis usitatae, in quibus omnes liberales doctrinae, artes & disciplinae, nobis representantur, & ex quibus in alias linguas, quicquid liberalis doctrinae extat, transfunditur. Cum verò gentes non amplius supersint, quibus vlla harum linguarum pura & incorrupta agnata sit, idcirco illa, de scripto potius, quam viua voce, habentur, & ad posteritatem propagantur, ita tamen, ut de illis cognosci quicquam certi non possit, nisi viua vox accedat. Ac omnis scripturae fundamentum sunt literae, hinc literarum nomen pro doctrina, scientiis, & disciplinis usurpatur, ut quæ scriptis seu literarum monumentis continentur. Quæ omnia cum ita sint, de studio literarum Hebraicarum, Graecarum & Latinarum nonnulla nunc agam: indicaturus quàm utile sit, & necessarium studium illud, quàmque mutila sit futura ac manca omnis liberalium artium, itemque linguarum cognitio, si destituta fuerit notitia vllius trium istarum linguarum. Non dicam porro de rebus summis & maximis, quæ in his linguis ob oculos nobis ponuntur, ne limites scholæ philosophicæ, meæque professionis, & propositi transcendam, sed saltem ostendere conabor causas quasdam, momenti aliquid

quid

quid habentes, ad excitandum in nobis desiderium, aliquid addiscendi de literis Hebraicis, Græcis & Latinis. De his verba facturo mihi, ut ornatissimum hoc auditorium benignas præbere dignetur aures, studiosè rogo. Principio omnis scriptura fundamentum esse literas, iam indicatum est: sed fundamentis sublato quidnam extrui potest? an non corrumpere necesse est id, quod ante extractum est? Unde efficitur, quod absq. literarum scientia nullius scriptura solida cognitio consistere possit. Scriptura autem omni sublata, quenam queso barbaries inde non oriretur? quæuè doctrina benè conservari posset, & ad posteros propagari? Literarum igitur studium magnificandum est, earum præsertim, quarum adminiculo liberalis doctrina omnis nobis patet, cuiusmodi sunt trium, quas iam aliquoties dixi, linguarum, quarum utilitates considerabimus, quas singula proprias habent, unde apparebit, quàm necessarium sit coniungere studium earundem. Hebræi quidem sermonis hoc proprium est, quod sit fons & origo omnium linguarum, omniumq. expositionum Scripturæ sacrae veteris Testamenti, & magnam partem noui, adeo ut quicquid in reliquis cunctis incorrupti inest linguis, id totum ex Hebræa promanarit, tanquam primo fonte atq. origine, & nulla sit interpretatio Scripturæ Testamenti veteris, aliunde, quàm ex Hebræo sermone primùm deriuata, ipsumq. Testamentum nouum, licet Græcè scriptum sit, tamen multis Hebraïsmis scateat. Atq. hæc ita se habere, luce meridiana clarius est, ex rationibus non obscuris. Nam in libro Genesios legimus, unum fuisse labium, ante & post diluuium, usq. ad extruccionem turris Babylonica, in vniuersa terra, tempore verò ceptæ edificationis istius turris, nimirum circa annum orbis conditi 1790. qui fuit post diluuium centesimus trigesimus tertius, diuinitus confusis linguis, harum pluralitatem & multiplicationem factam. Vnum autem illum, qui

Literarum  
studium quàm  
sit necessarium.

Hebræa lingua fons est omnium linguarum & expositionum sacrae Scripturæ.

Hebræam linguam esse primam omnium, probatur ex nomine quo dicitur illa Hebræa, idque auctoritate Augustini confirmatur.

ante confusionem linguarum extitit, sermonem, quem scriptura  $\mu\epsilon\lambda\omega\nu\mu\iota\kappa\acute{o}\varsigma$  labium vocat, fuisse, non alium, quam Hebraum, Augustinus lib. 16. de Ciuit. Dei cap. 11. probat, ex nomine, quo dicitur lingua Hebraea, deriuata ab Hebero, qui patrem habuit Selachum ex posteritate Sem, à quo viro hanc linguam pariter, & vniuersam gentem Hebraorum nomen accepisse, non inconsistentaneum est: quandoquidem Moyses cap. 10. Gen. vers. 21. enumerans filios Sem, primo loco ponit posteritatem Heber, quod ipsum singularis prerogatiuae & praelationis indicium habetur, cum praesertim constet, Heberum esse non filium, sed abnepotem Semi, ut Luc. 3. apparet. Quod autem Heberi posteritas ita praefertur omni posteritati filiorum & nepotum Semi, quamnam huius rei causam esse putabimus? an non hac est insignis laus iusticiae, qua Heber fuit conspicuus, praeter alios, qui complices extiterunt molientium structuram turris Babylonicae, quorum societati se non adiunxisse illum, ac proinde non fuisse obnoxium poenae confusionis linguarum, est cur credatur? Vnde ulterius consequitur, linguam eam, quae sola ante extructionem turris Babylonicae extitit, in familia Heberi permansisse, esseque ab illo denominatam. Sed age, ipsa Augustini verba recensere libet, quae plus ponderis, ac momenti habent, quam mea. Sic autem inquit

» ille, loco iam antè citato: Quando merito elatioris impietatis  
 » gentes linguarum diuersitate punita atque diuisa sunt, & ciuitas impiorum confusionis nomen accepit, hoc est, appellata  
 » est Babylon, non defuit domus Heber, ubi ea, quae antea fuit  
 » omnium lingua remaneret. Vnde, cum cepissent enumerari filij Sem, qui singuli gentes singulas procrearunt, primus est  
 » commemoratus Heber, cum sit abnepos ipsius, hoc est, ab illo  
 » quintus inueniatur exortus. Quia ergò in eius familia remansit haec lingua, diuisis per alias linguas ceteris gentibus,  
 » quae lingua prius humano generi non immerito creditur fuisse  
 commu-



communis, ideò deinceps Hebraea est nuncupata. Tunc enim  
 opus erat eam distingui ab alijs nomine proprio: Sicut aliae  
 quoq; vocatae sunt nominibus proprijs. Quando autem erat  
 una, nihil aliud, quàm humana lingua vel humana locutio  
 vocabatur, qua sola uniuersum genus humanum loquebatur.  
 Dixert aliquis: Si in diebus Phaleg filij Heber diuisa est ter-  
 ra per linguas, id est, homines, qui tunc erant in terra, ex  
 eius nomine potius debuit appellari lingua illa, quae fuit omni-  
 bus ante communis. Sed intelligendum est, ipsum Heber pro-  
 pterea tale nomen imposuisse filio suo, ut vocaretur Phaleg,  
 quod exponitur diuisio, quia tunc ei natus est, quando per  
 linguas terra diuisa est, id est, illo ipso tempore, ut hoc sit, quod  
 dictum est: In diebus eius diuisa est terra. Nam nisi adhuc  
 Heber uiueret, quando linguarum facta est multitudo: non  
 ex eius nomine nomen acciperet lingua, quae apud illum potuit  
 permanere. Et ideo credenda est ipsa fuisse prima illa com-  
 munis, quoniam de pœna venit multiplicatio mutatioq; lin-  
 guarum: & utiq; præter hanc pœnam esse debuit populus Dei.  
 Nec frustra linguam istam, hoc est, quam tenuit Abraham,  
 nec in omnes filios suos, transmittere potuit, sed in eos tan-  
 tum, qui propagati per Iacob, & insignius atq; eminentius in  
 Dei populum coalescentes, Dei Testamenta & stirpem Christi  
 habere potuerunt. Nec Heber ipse, eandem linguam in uni-  
 uersam progeniem suam refudit: sed in eam tantum cuius ge-  
 nerationes perducuntur ad Abraham. Quapropter etiam, si  
 non euidenter expressum est, fuisse aliquod pium genus homi-  
 num, quando ab impijs Babylonia condebatur: non ad hoc  
 ualebit hæc obscuritas, ut querentis fraudaretur, sed potius  
 ut exerceretur intentio. Cum enim legitur unam fuisse lin-  
 guam primitus omnium, & ante omnes filios Sem commenda-  
 tur Heber, quamuis ab illo quintus oriatur: & Hebraea voca-  
 tur lingua, quam Patriarcharum & Prophetarum, non so-

lum in sermonibus suis, verum etiam in literis sacris, custodivit autoritas: Profecto, cum quaritur in diuisione linguarum, ubi lingua illa remanere potuerit, quæ fuit ante communis: quæ sine vlla dubitatione ubi remansit: non ibi fuit illa pœna, quæ facta est mutatione linguarum: quid aliud occurrat, nisi quod in huius gente remanserit. in cuius nomine nomen accepit: & hoc iustitia gentis huius non paruum apparuisse vestigium, quod cum alia gentes plecterentur mutatione linguarum, ad istam non peruenit tale supplicium.

2. Derivationes nominum rebus antiquissimis impostorum. Hebraeæ linguæ antiquitatem comprobant. Deorum antiquissimorum nomina ex Hebraea lingua iure deucenda.

Hactenus Augustinus: cuius verba, prolixiora quidem, recitare visum fuit, eò quod luculenter admodum declarent, linguam Hebraeam esse primam omnium, ac veluti matrem, ex qua ceteræ per confusionem sunt progenerate. Sed præter Augustinum, Philosophorum quoque monumenta testantur, rerum antiquissimarum nomina, cuiusmodi sunt, nomina Deorum & literarum, quibus olim nihil habuerunt antiquius, ex Hebraea lingua oriunda, ad alias gentes peruenisse. Etenim Deorum appellationes ex Syria, Aegypto, atque Phœnicia ad Græcos & Thuscicos translatas asserunt. Illæ autem regiones populo Israëlitico vicinæ fuerunt, earumque habitatores usæ sunt linguis, ex sermone Hebraeo deriuatis, proinde & illa ipsa Deorum antiquissimorum nomina, ad Hebraeum sermonem, tanquam primum fontem: eferenda erunt: prout non ita pridem alio loco exemplis aliquot planum feci, quæ in præsentia latius aliquantò explicata repetere non inconueniens, nec ab hoc loco meo iure instituto alienum est. Κρόνος, quo nomine Græcè Saturnus appellatur, thema habet Hebraicum קרו, quod est radiare, emittere iubar seu splendorem radiorum, qui cornua referunt, ut Mercerus interpretatur: qua significatione hoc verbum usurpatur, Exod. 34. vers. à fine 6. de splendente Mosis facie, quam nonnulli cornutam interpretantur, eò quod nomen קרו cornu significet, ac participium, huic

huic verbo coniugatum,  $\text{שָׂרָר}$ , Psal. 69. vers. 32. de tauro usurpatum, cornua producentem denotet. Hoc ignorantes Græci,  $\text{κρόνον}$  dici volunt  $\text{Ζῆς}$  ἢ  $\text{χρόνον}$ , quod cum ipso tempore extiterit, autor ipse temporis. Quo & Aristoteles respexit, in libro de mundo scribens, Iouem ἢ  $\text{δία}$  dici, esseq; filium  $\text{κρόνου}$  ἢ  $\text{χρόνου}$ , utpote  $\text{δὴκροντα}$  ἢ  $\text{αἰών}$  &  $\text{εἰς ἕτερον αἰῶνα}$ . Sed hæc Etymologia Hebraum sermonem ignorantium est. Consimiliter Latini nominis Saturni derivationes alij alias comminiscuntur. Nam Cicero lib. 2. de Nat. Deor. Saturnum dictum censet, quod saturetur annis, ac si vox esset composita ex satur & annus. Nec desunt qui Etymologias prorsus ineptas confingunt, dum quidam volunt Saturni nomen esse compositum ex voce Latina Satur, & Græca  $\text{ῥῆς}$ , id est, mens, intellectus, alij à satu, quod peritiam satorum & ruris primus edocuerit, alij deniq; cōfugientes ad fabulas obscœnas, à  $\text{σάδην}$ , quod virilia denotare aiunt, deducunt. Quas minus aptas & fabulosas Etymologias non excogitassent, si de Hebraeo sermone, certi aliquid, cognouissent, atq; si diligentius aliquanto expendissent à quibus populis Deorum nomina tradita accepissent. Hebrais enim verbum est  $\text{שַׁטַּרְט}$  significatione latendi, unde & Saturni nomen, non incommodè deriuari cur negabimus? cum præsertim ad hanc Hebraicam originem respexisse videantur, & prisca illi Latini, qui Saturnum Deum Latium, seu Latinum, à latendo, cognominarunt. Ita Iouis nomen ex sanctissimo nomine Iehoua, per maximè detestandam blasphemiam, ad summam impietatem traductum esse, certum est. Et Græcum eiusdem nomen  $\text{Ζῆς}$ , primò & principaliter, non à Græco  $\text{ζῆν}$ , id est, viuere, utpote quod vitæ sit autor Iupiter, neq; à  $\text{δῶω}$ , id est, rigo, quod terram ad suppeditanda vitæ omnium alimenta reddat aptam rigando, neq; à  $\text{δέω}$ , id est, formido, quasi formidabilis sit, nec deniq; à  $\text{ζῆω}$ , id est, ferueo, qua præcipua à Græcam originem

Saturnus ex

 $\text{שַׁטַּרְט}$ .

Iouis ex

 $\text{יְהוָה}$ . $\text{Ζῆς}$  ex $\text{ζῆν}$ .

queren-

querentibus derivationes afferuntur, deducendum erit: sed  
 potius ab Hebraico מר, quod nomen est secundi Iudeorum  
 mensis, incidentis magnam partem in nostrum Aprilem. Iu-  
 dai siquidem à Martio anni sui initium duxerunt. Nomen  
 autem huic mensi inditum est à splendore seu nitore. Nam  
 מר Chaldaeis idem significare traditur quod Hebraeis, מִנְהָר, id  
 est, splendor, quandoquidem secundo mense campi & agri,  
 omnis generis plantis velut splendescere & nitere, silvaq; fron-  
 dere incipiant. Ab hac igitur relucente rerum viriditate,  
 quàm olim Ioui adscripserunt, Hebraeum מר ad Iouis Graecum  
 nomen translatum est, non alio, ut apparet, sensu, quàm quo  
 Graeci, ut iam indicauimus, à rigando, ῥίσις nomen, Ioui im-  
 positum censent. Martis nomen ex Hebraico מר, denotan-  
 te amaritudinem, acerbisatem (est enim Deus belli habitus,  
 ideoq; multa acerbisatis & amaritudinis quasi causa) oritur  
 potius, quàm ex Latino nomine, marium, id est, virorum,  
 quibus in bello praesse traditur, aut ex Sabinorum Mamers,  
 sic illum nominantium, unde Latinam saltem originem con-  
 siderantes, deducunt. Mercurius à מוכר est, significante,  
 vendere merces, quod mercatorum est, siue eorum, qui ven-  
 dunt & negotiantur. Mercibus enim is praesse fingitur,  
 superstitione, ut videtur, Chaldaica. Ex eodem verbo מוכר,  
 Latinos per Metathesin literarum accepisse mercor, merca-  
 tor, merx, mercatura, & Germanos suum marcken / ein-  
 marcken / & per aliam literarum metathesin, framer / frame-  
 rey / ut quidam putant, vero non est absimile. Hoc etymon  
 nescientes Latini, nomini Mercurij interiecerunt prius R,  
 quasi à mercandi verbo illud esset deductum. Et Graecum  
 ἑρμῆς ducitur ex Hebraeo מרם, quod est calcare & terere iti-  
 nera, seu ambulare. Deorum enim aliorum nuncium hunc  
 fingebant. Non autem oritur illud à Graeco ἕρως, id est, nun-  
 cio, tanquam sit dictus quasi εἰρήσας, & per pleonasmum τὸν ἕρ-  
 ἑρῆσας,

Mars ex  
מר.

Mercurius  
ex מוכר.

ἑρμῆς ex  
מרם.

equas, deinde per Syneresin equas, ut doctissimi Graeca lingua  
 interpretes censent. Hac enim Graeca deriuatio, si formam no-  
 minis spectes, nimis longè ducta est, Hebraica propius tam ad  
 nomen, quàm ad rem ipsam accedit. Luna nomen deriuatur  
 ex לַבְּרָה (quod nomen Hebraei illi assignant) mutato ב in vo-  
 calem u, & duabus vocalibus Hebraicis reiectis, qualem con-  
 sonantis ב mutationem, & vocalium reiectionem, ipsi quoq;  
 Hebraei usurpant, in dictione שֶׁבַע בַּת Bathscheba, ex qua  
 effecerunt שֶׁבַע בַּת Batschua. Magis igitur conueniens,  
 simplex & plana est deductio Luna nominis, ex Hebraico illo  
 לַבְּרָה, quàm ex Latino lucendi verbo, quod Ciceroni placet.  
 Quadrat enim illud Hebraicum etymon cum luna non nomi-  
 ne tantum, sed & re ipsa. Siquidem לַבְּרָה, ex quo לַבְּרָה est,  
 albedinem seu candorem denotat, vel adiectiuè album, can-  
 didum, qui color Luna insitus est, & naturalis. Ceres Dea  
 frugum habita dicitur, non pro Geres, à gerendis frugibus  
 nempe, denominata, ut autor est Cicero, sed potius, factò no-  
 mine ex Hebraeo שֶׁבַע, quod propriè est triticum fractum &  
 contusum, quasi contusionem dicas, ex שֶׁבַע frangere & con-  
 terere, comminere. Usurpatur verò hac vox de omni fru-  
 ctu terra prae maturo, & praecipuè de frugibus crassioribus atq;  
 opimis. Pallas commodè deriuatur ex Hebraico verbo פָּלַשׁ,  
 quod in coniugatione Hitphaël saltem scriptum legitur, de-  
 notans inter alia volutare, siue agitare, versare. Nam &  
 Graeci dictam eandem volunt à vibrando seu agitando, quod  
 ipsis est ῥάδεν. Nec solum Deorum, sed & literarum no-  
 mina, maxima ex parte, Hebraica esse origine, manifestum  
 euadit illa consideranti. Ac vnum certè Aleph Hebraeorum  
 permulta apud alias gentes peperit nomina. Hinc enim proces-  
 sit Graecorum alpha ἄλφῶν, utcunq; se ἄλφῶν Graeci  
 fuisse praedicent. Hinc Syrorum Olaph, Eliph Arabum.  
 Similiter Beth, Gimel, Dalet, & similia, quae Hebraica à na-

Luna ex  
לַבְּרָה.

Ceres ex  
שֶׁבַע.

Pallas ex  
פָּלַשׁ.

Literarum  
quoque no-  
mina in alijs  
linguis sunt  
Hebraica.

E tura

tura esse, & ad alias gentes ascita in nouas familias abiuisse, ut in Græcorum Beta, Gamma, Delta. Item Syrorum Beth, Gomal, Daleth, necnon Arabum Be, Gim, Dal, res ipsa clamat. Ex his manifestum euadit, Hebræam linguam esse antiquissimam fontem, & originem primam aliarum, utpote ex qua traducta sunt nomina rerum antiquissimarum, in alijs linguis usurpata, quæ prima huius lingue proprietas existit, & utilitas præ alijs. Altera deinde est, quod ex huius lingue idiomate profluat & promanet omnis interpretatio sacræ Scripturæ veteris Testamenti, & magnam partem noui. Atq; de Testamento veteri hoc ita planum est, & manifestum sacrarum literarum studiosis, quales in primis omnes esse debent, qui bonarum literarum & artium liberalium studio sunt addicti inter Christianos, ut inconueniens omnino, & ἀνεοσιδίου foret, illud à nobis demonstrari. Quacumq; enim lingua, & qualiscumq; habeatur expositio veteris Testamenti, eiusmodi illa est, ut mens hominis liberali disciplina imbuti, in illa acquiescere non omnino possit, nisi constet, Hebræo textui versionem consentaneam esse, multaq; sunt in quibuslibet versionibus dicta, quæ sensum non satis conuenientem pariunt, si absit collatio cum textu Hebræo. Nec minus de nouo Testamento certum est, quod phrasin admodum sit Hebræica, quamuis Apostolorum monumenta Græco sermone primum exarata sint. Nam quemadmodum nunc plurimi Latine loquentes, patriæ lingue phrasin non parum imitantur, ita Apostoli quoq; faciunt, idq; eò magis, quo grauiore consilio & maiori studio Prophetarum sermonem sequuntur ac reddunt. Hoc ipsum exemplis aliquot ostendere possemus, nisi temporis angustia id facere prohiberet. Nunc verò obiter saltem attingere volui, ut appareret, ex sermonis Hebræi intelligentia profluere & promanare, plerasq; genuinas expositiones vocum & phrasion, adeoq; genus ipsum sermonis, in  
 vniuer-

Hebræus  
 sermo fons  
 est interpretati-  
 onis  
 Scripturæ  
 sacræ Testa-  
 menti vete-  
 ris.

2. Testamen-  
 ti noui.

uniuerso corpore librorum sacrorum, ut saepe hallucinari oporteat, in certo aliquo scripturae sensu assequendo, idiomatis Hebraici ignarum. Suntque haec duae utilitates praecipuae, praeter aliam Hebraeae linguae peculiarem & propriam, in quibus explicandis diutius aliquando immoratus sum, ut sermo Hebraicus, cuius studium magis desertum est, quam linguae Graecae & Latinae, nobis esset commendatior. De Graeca & Latina porro lingua dicturus, breuius me expediam, eo quod harum linguarum utilitates magis sint ob oculos posita studiosis bonarum artium & literarum, ratioque temporis breuiore nos esse requirat. Ut autem vetus Testamentum Hebraeo, ita nouum Graeco sermone primo est exaratum, quod ipsum unum est, Graecae, praeter aliam linguam, elogium peculiare. Noui igitur Testamenti doctrinae solidam cognitionem habere desiderans, ita ut liberetur a scrupulis dubitationum, recte ne vel secus, ex δεξιόπρω, praesens expositio translata sit, ad Graecum textum confugiat, oportet. Primum itaque praeter aliam linguam hoc peculiare habet Graeca, quod ex ea omnis noui Testamenti scriptura profluat & promanet. Deinde & alterum accedit, quod velut peculium sibi haec lingua vendicat, hoc nimirum, quod hac ipsa representetur nobis ceu ἐν πενιθοπρω, quicquid liberalis doctrinae & literarum optimarum habemus, siue species ipsam Theologiam, in qua cum nouum Testamentum totum, ut iam diximus, tum praecipuorum Ecclesiae noui Testamenti luminum, Orthodoxorum Patrum Graecorum monumenta, ex quibus Latinae linguae antistites & doctores multa hauserunt, quae posteritati consecrarunt, hac lingua exarata sunt: Siue humaniores disciplinas, Philosophiam dico, Medicinam & Iurisprudentiam consideres, haec omnia & singula ex Graeco sermone, quo primo conscripta sunt, in alias linguas derivata deprehendes. Quod ita perspicuum ac manifestum duco, ut prolixius declarari superuacaneum existimem:

Græca lingua est, δεξιόπρω.  
1. Testamenti noui.

2. Omnis liberalis doctrinae.

Latina lin-  
gua inter-  
pres est om-  
niū scripto-  
rum Hebrai-  
corum &  
Græcorum,  
& commu-  
nis omnibus  
ferè Euro-  
pæ nationi-  
bus.

Sufficiat obiter indicasse præcipuas & principales proprietates Græca lingua peculiare præ alijs, quod illa sit primigenium exemplar, primò scriptura noui Testamenti, deinde omnis liberalis doctrina & disciplina. Restat, ut de sermone Latino consimiliter agamus, cui hoc præcipuè proprium & peculiare est ascribendum, quod omne, quod Hebraicus & Græcus sermo de diuinioribus & humanioribus literis continet, per Latinum nobis patefiat, quodq; hic sit ceu commune vinculū & nexus, quo omnes ferè Europæ populi quasi coniunguntur uno sermone, per quem, se inuicem intelligere possunt. Est igitur Latina lingua interpres omnium scriptorum Hebraicorum & Græcorum, ut per quam nobis aperitur, & intelligentiæ nostræ subijcitur, quicquid Hebraicis Græcisq; habetur literis. Per eandem item variarum nationum homines, in Europa potissimum alter alteri mentis suæ sensa exponere & manifestare possunt, ut qui Latine loqui didicit, per Hispaniam, Galliam, Italiam, Germaniam, Angliam, Daniam, Sueciam, Poloniam, Vngariam, Boëmiam, Sclauoniam, & alias terras Europæas, iter faciens, in omnibus his regionibus inueniat, quibus cum sermonem conferre possit, ubi aliàs omnino obmutescere oporteret, si Latina lingua ignarus esset. Hinc & harum nationum Reges, Duces & Principes, inuicem scribentes de rebus suis publicis, Latino idiomate id plurimum faciunt. Quicunq; igitur hoc nostro seculo, de rebus illis summis & maximis, Hebraicè & Græcè expositis, aliquid cognoscere desiderat, Latino sermone tanquam internuncio, utatur opus est, per quem studiosis optimarum literarum & artium explicantur & innotescunt, quæcunq; Hebraicis Græcisq; representantur literis: Quisquis item volet linguam nosse, qua pluribus in regionibus, inter diuersissimarum nationum & linguarum homines, uti possit, Latinam linguam familiariter sibi notam reddat. Ut igitur nunc breuiter concludam ea quæ de tribus linguis dixi.



dixi, Hebraea lingua fontem aperit, cum reliquarum linguarum, quarum precipua sunt Graeca & Latina, tum omnium expositionum S. Scripturae, imprimis Testamenti veteris. Graeca ipsum Testamentum nouum, omnemque doctrinam liberalem, in Theologia, Iurisprudencia, Medicina & Philosophia, tanquam de xetoviv, ob oculos ponit: Latina denique intelligentiam patefacit rerum maximarum & utilissimarum, reliquis duabus propositarum, estque communis omnibus ferè Europæ populis, à quibus excolitur. Quae cum ita sint, quis non videt, necessariam admodum esse coniunctionem studij trium iam dictarum linguarum, quandoquidem solidam notitiam vllius illarum, nedum rerum maximarum, his singulis expositarum, comparare sibi nemo potest, omni cognitione vnus destitutus: Quae quidem in parte facile assensum mihi praebebunt omnes, qui singulas istas, quas dixi, proprietates linguarum, diligentius aliquantò expendunt. Excolamus igitur

has linguas, & imprimis fontem sermonis omnis non negligamus, Hebraeam dico linguam, ne hac silente Graecas simul & Latinas amittamus literas, ac proinde omnem liberalem disciplinam, non alibi quàm in his linguis, inueniendam. Vbi enim fons non scaturit, quo modo, quæso, aut quam diu illic flumen vel riuus permanere poterit? Nec existimemus, Theologis saltem Hebraicas prodesse literas, sed potius sciamus, huiusmodi opinionem falsissimam esse, rei que literariae perniciosam, & directam ad defraudandum Studiosos literarum, tam doctrinae pietatis (quales non tantum Theologi, sed omnes Christiani esse debent) quàm linguarum & disciplinarum humaniorum, utilitatibus & commodis, ex Hebræo sermone in ipsos redundantibus. Agite igitur studiosi bonarum literarum, accingamus & præparemus nos ad cognoscendū & discendum de literis Hebraicis, Graecis & Latinis, quantum auctor harum, Deus, cuius nostrum de illis discere concedit, ne in ipsum

Exhortatio  
ad studium  
trium lin-  
guarum.

Hebraea lin-  
gua prodest  
non tantum  
Theologis,  
sed omnibus  
bonarum li-  
terarum stu-  
diosis.

Deum ingrati, ob neglectum & contemptum tanti beneficii, priuemur doctrina pietatis simul & disciplinarum liberalium omnium, quae saltem tribus his linguis principaliter nobis exhibentur, nec ullis alijs linguis fontaliter doceri aut disci diuinitus permittuntur. Certè harum trium linguarum litera, unicum sunt instrumentum & medium externum & per quod nos scholastici prae alijs, in cognitionem thesauri maximorum, quae indicant, bonorum peruenimus, atq; illorum ipsorum bonorum participes reddimur, & hoc ipso medio bene apprehenso, recte q; accommodato, alijs quoq; eadem bona communicare, & ad posteritatem propagare possumus. Contra, hoc instrumento seu medio apprehendendi disciplinas liberales quae sibi repudiato, ipsas etiam disciplinas illas repudiari necesse est. Quamobrem cogitemus linguarum studium in Ecclesia diuinitus excitari, esseq; hoc donum Dei non vulgare, sed unum insignium illorum donorum, quae ipse Dei filius in caelestem patriam migraturus tantopere nobis commendauit, ut signa veram fidem consequentia eadem constituere dignatus fuerit, ac proinde sciamus Deum velle, ut nostra diligentia id ipsum excolamus, grauiusq; animaduertere neglectum & contemptum tanti beneficii. Quod agnoscentes, gratias agamus Deo Opt. Max. quod illud, inde ab Apostolorum temporibus, huc vsq; conseruauerit, & ad nos quoq; propagauerit. Simul etiam oremus eundem, ut deinceps lucem Euangelij in Ecclesia accensam, & per consequens, studia linguarum & artium, apud nos foueat atq; sustentet, nec interire sinat, quo per haec media Deo multa grata fiant & dicantur. Tandem & gratitudinem nostram declaremus, quisq; pro virili sua haec studia ornando, non dubitantes hoc profuturum, cum ad nos ipsos erudiendos & confirmandos, tum ad posteritatem inuandam.

D I X I.



Lipsiæ,

IMPRIMEBAT MICHAEL  
LANTZENBERGER.

*A N N O*  

---

*M. D. IV C.*



Be 231

8

Di.

ULB Halle 3  
002 690 756




56.

V077







Orationes duæ:

VNA

DE LINGVÆ  
HEBRÆÆ LAVDIBVS:

ALTERA

DE TRIVM LIN-  
GVARVM, HEBRÆÆ, GRAE-  
CÆ ET LATINE STV-  
dio coniungendo;

*Conscripta & recitata in Academia Lipsensi*

PER

M. HENRICVM SCHVA-  
lenberg, Hebraicarum literarum  
Professorem,



LIPSIÆ,  
IMPRIMEBAT MICHAEL  
LANTZENBERGER.

ANNO M. D. IVC.